

10 *CH.* quid ēst? *SY.* te mihi ipsum iamdudum optabam  
dari.

*CH.* videre egisse iam nescioquid cum sene.

*SY.* dē illo quod dudum? dictum [ac] factum reddidi. 760

*CH.* bonan fide? *SY.* bona hercle. *CH.* non possum  
pati

quin tibi caput demulceam; accede huc, Syre:

15 faciam boni tibi aliquid prō ista re ac lubens.

*SY.* at si scias quam scite in mentem venerit.

*CH.* vah gloriare evenisse ex sententia? 765

*SY.* non hercle vero: verum dico. *CH.* dic quid est?

*SY.* tūi Clitiphonis esse amicam hanc Bacchidem

20 Menedemo dixit Clinia, et ea gratia  
secum adduxisse ne tu id persentisceres.

*CH.* probe. *SY.* dic sodes. *CH.* nimium, inquam. *SY.* 770  
immo si scias.

sed porro auscultā quod superest fallacie:

sese ipse dicit tuām vidisse filiam;

25 ei(u)s sibi placitam formam, postquam aspexerit;  
hanc cupere uxorem. *CH.* modone quae inventast? *SY.*  
eam:

et quidēm iubebit posci. *CH.* quām ōb rem istuc, Syre? 775  
nam prorsum nil intellego. *SY.* vah tardus es.

*CH.* fortasse. *SY.* argentum dabitur ei ad nuptias,  
30 aurum atque vestem qui . . tenesne? *CH.* comparet?

*SY.* id ipsum. *CH.* at ego illi neque do neque despondeo.

*SY.* non? quām ōb rem? *CH.* quām ōb rem? me rogas? 780  
homini . .? *SY.* ut lubet.